

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538943**

CXV. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Catheterismo.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16605**

C X V.

DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA,  
DE  
CATHETERISMO.

*Quam Praeside*

HENRICO MEIBOMIO,

*Palam tuebatur*

FRANC. HENR. GRUBELING,

HELMSTADIENSIS.

Helmstadii mense Novembris anno 1699.

Tom. IV.

K k k



REV.  
DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA  
DE  
DARTHERIA  
HENRICO THEISSONIO  
AUCTORE  
FRANCISCO GRUBBING.  
GIESSEN 1781.

111



## T H E S I S I.

**K**αθετήρ, ut *Galenus in explicatione Diction. Hippocrat.* notat, græcis *λεπί τε καθιέθει*, dicitur: uti vocem illam *καθίεναι*, immittere, *Hipp. l. 2. de morb. mul. §. 198.* etiam usurpat, *καθίεναι ὑπάλιπρον* specillum in uterum immittere. Generaliter igitur *καθετήρ* significat demissorium, vel demissorem, vel immisorem, qui in aliud immittitur. In qua ampla significatione etiam apud *Hippocrat. l. 2. de morb. mul. 46. §. 12.* usurpatur pro *σρεπίῳ μοζαρίῳ*: tortili linamento, vel penicillo, aut turunda ex crudo lino (*μολίνῳ*) parato, ut explicat *Galenus loc. cit.* quod vulnere ulcerique inditur.

II. Postea tamen latior vocis hujus significatio restricta est ad instrumentum aliquod, quo in vesicæ affectibus utimur, sive illi aliquid injiciendum, sive ex ea aliquid educendum est, ut ex *Galeno* patet. Cum enim ille *l. 5. Meth. Med. c. 6.* monuisset, pro partis ipsius proprietate, instrumentis utendum esse, ad intestina clystere, ad uterum Metrenchyta, sic *Ε*, inquit, *in vesicam immittimus per fistulas* medicamenta: *διὰ τῶν εὐδυστήτων καθητήρων*: quibus verbis etiam sequente cap. 7. utitur.

III. *Celsus*, qui artem Medicam Latine eleganter tradidit, omisso Græco nomine, *fistulam* *l. 7. c. 36.* generali itidem voce appellat; quæ græcis *σύριγξ*, unde & Barbaris superiorum seculorum scriptoribus *Syringa*, & hodieque Italis dicitur. *Riolanus in Enchiridio* ob usum, quem præstat, *clavem vesicæ* vocat.

IV. Mansit interim apud Græcos Medicos, qui post *Galenum* vixerunt, vox *καθετήρ*, ut apud *Paulum* ex *Ægina lib. VI. c. 59.* videre licet, ubi ipsam operationem, quam cum cathetere in vesicæ affectibus instituimus, eleganter *καθετηρισμόν* appellat, voce apud alios non temere occurrente.

V. Illum igitur Catheterismum, magni momenti, & summe necessariam, operationem in vesicæ affectibus, ubi, nisi occurras, vita ipsa periclitatur, uti eam à *Cl. Dn. Præside* expositam audivi, & instrumenta ipse vidi, clare & distincte proponam: prius tamen aliquid de suppressione urinæ, in qua potissimum ejus usus est, cum & varia sit, & variis à causis oriatur, dicam, ne frustra per immisionem catheteris suffinere dolorem aliquem æger cogatur.

VI. Non enim, quotiescunque urina non excernitur, Catheterismus locum habet, sed tum tantum, quando vesicæ, aut urethræ quidem etiam, vitio illa in vesica collecta effluere non potest. Notum enim, & pluribus exemplis à Scriptoribus Medicis declaratum est, aliquando urinam non excerni, quoniam ad vesicam non pervenit, sive à san-



guine in renibus non separetur, five alibi divergium faciat. Nonnulli quidem eam etiam vocant suppressionem urinæ, & Ischuriam notham: verum proprie loquendo suppressi urina dici non potest, si nondum à sanguine separata, & urinæ formam nacta est.

VII. Quocunque autem modo appelletur, certe in ea locum non habet Catheterismus, quoniam in vesica urina nulla est, nec circa pubem, ubi illa sita est, vel tensio. vel tumor, vel dolor, vel anxietas percipitur, nec urinæ mittendæ desiderium adest, nec compressa regione vesicæ dolor exacerbatur: quæ in suppressione urinæ vesicæ vitio deprehendimus.

VIII. Monuit tamen Cl. Dn. Præses in iudicio ferendo de suppressione urinæ vitio vesicæ oborta, cautos debere esse Medicos, cum urina in abdominis cavitatem delabi, & tumorem doloremque in pube, nulla tamen in vesica existente urina, excitare, & ita decipere medentes possit. Deceptos hoc modo præstantissimos Medicos Romanos monuit me Cl. Dn. Præses, cum ægrum flagrantissima febre confictatum & plurimum bibentem, nihil autem mejentem, ventre intumescente, laborare inflammatione iudicarent, & aliis remediis non proficientibus catheterem adhiberent. Illo enim intromisso, non tantum nihil urinæ prodiit, quod summam admirationem omnibus excitavit, sed & mortuo ægro, nullâ inflammatio in vesica est comperta, nec urina in vesica, sed renum caro tota à calculis dilacerata & absumpta visa est, aquoso humore non ad vesicam per ureteres deducto, sed in cavitatem abdominis effuso, unde ventris tumor. Quæ ingenue refert, deceptus ipse cum aliis, *Archangelus Piccolhominus Anatom. prælection. XXIII.* A qua historia parum abaudit, illa cujusdam viri, relata à *G. Blasio observ. Medic. 22. part. 6.* nam frustra catheter adhibitus fuit, nec ejus opè quicquam evacuatum, hærente in rene & uretere calculo, unde affluxus ad vesicam inhibitus: & alia item de Matrona, adducta *Lotichio observ. 11. l. 4. c. 5.*

IX. Cum enim Catheterismus vix unquam citra omne incommodum, plerumque vero cum difficultate, nunc majore, nunc minore fiat, omitendus utique est, si nullo cum fructu fiat, nec etiam adhibendus, nisi tentatis remediis mitioribus. Quod prudentissime de machinis majoribus, ubi de fracturis agit, monet *Hippocrates*, non decere, ut intempestive eæ adhibeantur, si citra illas idem fieri possit. Verba græca elegantia sunt: *καὶ γὰρ σολοικότερον μηχανοποιεῖεν μηδὲν δέον. lib. de fracturis c. 18.* Id quoque de Catheterismo observari debet, & molliores lenioresque modi tentandi sunt, quibus interdum scopus æque obtineri potest.

X. Ne enim nunc de internis Medicamentis, quibus quædam suppressio urinæ tolli potest, dicam: Externa cataplasmata, fofus, emplastra, balnea plurimum possunt. Et aliquando situs mutatio, & is qui inter stantem & jacentem elevatis cruribus procuratur, cum calculus adest,

adest, multum juvat, & inferioris ventris compressio. *Hieronym. Fabr. ab Aquapend. de chirurg. operat. lib.* in pueris ita caute procedit, scribitque se hoc secretum à Veneto quodam accepisse, illisque ob retentam nimis diu urinam suppressione ejus laborantibus, *clara flamma pectinem calefecisse, interea oleo calido de capparibus super vesicam inunxisse, & stupam peccam calidam super posuisse, & sic omnes fere pueros minxisse.* Cl. Dn. Præses hic puero decenni, cum in tertium diem nihil emisisset urinæ, ventrem inferiorem oleo scorpionum calido ad fornacem calentem iussit inungi, stantisque ventrem circa pubem manu chirurgi fortiter comprimi, & puerum interea indefinenter tussire, unde profiliit urina, moxque soluta est suppressio. *Galenus* quoque cuidam, oborta inflammatione vesicæ, & hinc suppressione urinæ, aqua calida affusa, oleoque, intra tres horas ita tensionem relaxavit, ut ventre ad inferiora sensim presso, urinam reddiderit, ceu ipse narrat *lib. I. de loc. aff. c. I.* Possimus etiam urinæ emissionem procurare suctione, si infantum nutrices, adutorum masculorum penem Chirurgi, ori suo immittant, eisdemque suctu urinam extrahant: quale quid etiam fieri potest, si lagenulæ prius calefactæ immittatur quanto ocyus penis: aer enim per calorem rarefactus, cum ad priorem redit molem, ut in cucurbitulis, profluit urina.

XI. Ut igitur Catheterismus, ubi effectus ejus vel nullus futurus est, vel citra eum obtineri finis potest, omittatur, & aliis non juvantibus in usum demum trahatur: & contra, ubi usus ejus necessarius est, imo unicus, quod sæpe contingit, propter aliquem dolorem, qui utilitate tamen maxima & salute ipsa compensatur, à timidioribus non recusetur, vel procrastinetur tantum, in quo etiam peccari potest; Differentias suppressionum urinæ potissimas enumerabo, causasque illarum proponam, ut Medico Chirurgoque pateat, in quibus adhibere catheterem, cum ægri salute & fructu, debeant, in quibus vicissim vel periculosus ille, vel non necessarius, ideoque jure omittendus sit.

XII. Dicam autem tantum de vere & proprie dicta suppressione, quando scilicet jam actu separata à sanguine urina ex renibus per ureteres ad vesicam delapsa est, ex illaque effluere, ceu debet, nequit. Si enim vel à sanguine nondum separata est, vel vesicam non pervenit, frustra adhiberi catheterem, qui in vesicam tantum immittitur, vel cæcus videt.

XIII. Cum autem vesica ita conformata sit, ut non tantum urinam ad se delatam contineat, & aliquandiu asservet, & illa in homine citra voluntatem, quamdiu sphincter recte se habet, effluere non possit; expellere tamen etiam urinam fibroso suo corpore, relaxato simul sphinctere, debet, ceu Physiologi docent, nec hic exponendum est.

XIV. Quid vero præter naturam huic fibroso vesicæ corpori contingat, pluribus declarandum est. Cum scilicet fibræ illæ motum, ut alie



omnes, ab influxu sanguinis & spirituum habeant: si ille denegetur, nec spirituosum quid per nervos infuat, actio quoque movendi in illis cessat, nec expelli urina potest. Hoc igitur aliquando à refrigeratione vesicæ corporis contingit, ut sanguis spiritusque debitum vigorem fibris non dent. Estque hæc sine dubio etiam causa, cur senes, in quibus sanguinis spirituumque vigor, ut alibi, ita circa vesicam quoque remittit, facilius & frequentius quasdam urinæ suppressiones incurrant, difficiliusque in illis eæ solvantur; quod & *Hippocrates* monuit & *Reiner. Solenander consil.* 18. Et hinc qui partes inferiores nimis refrigerarunt, ut pedes, apud *Amatum Lusitanum cent.* 4. *curat.* 10. *Forestum l.* 25. *obs.* 18. aut hypogastrium apud *Cl. Pechlinum lib.* 1. *obs.* 10. suppressionem urinæ incurrunt, resolutis vesicæ motricibus fibris.

XV. Quod si spirituosum illud fluidum, quod per nervos accedens fibris omnibus motum largitur, ad vesicam non perveniat, nec ab urinæ quantitate aut qualitate ad excernendum impellatur, nec motum expulsionis facit. Prius illud rarius est, observatum tamen aliquando, post graves lapsus omnes inferiores partes sensum & naturales stimulos perdidisse, tam intestinum, quam vesicam; non secus ac in apoplecticis in pluribus partibus id fit. Posteriorius frequentius observatur, spina, & medulla imprimis in ea, à lapsu, percussione, nimio motu, vel vulnere læsis, subsequente paralyti, & hinc, vel subito, vel paulo post urinæ suppressione. Uti apud *Fabr. Hildan c.* 3. *obs.* 66. post lumbi contusionem ex gravissimo casu ab alto eadem die urinæ retentio supervenit, ut ne guttam quidem per septendecim dies emittere potuerit, omni urina beneficio catheteris educta, Confer. exemplum *Patritii Veneti* apud *Trincavell. l.* 10. *Pract. c.* 13.

XVI. Id vero notari quoque meretur, fibras, ut alibi, ita quoque in vesica, nimia distensione, posse amittere tonum suum, ut dein invalidæ sint ad contractionem. Vim contracticem, *δύναμιν περισαλτικὴν*, perire scribit *Galenus*, qui idem præclare jam observavit, fieri id *δὲ ὑπερλιότησιν τῆς κύσεως l. de opt. sect. ad Thrasylbul. c.* 23. *§ l. VI. de loc. affect. c.* 4. ubi *ἀμετρον τάσιν*, tensionem sine modo & mensura vocat. Quales *ἀμετροὶ τέσεις* contingunt, quando repleta aliquo modo vesica ab urina, eaque ad excretionem illam stimulante, homo tamen renititur, & sphincterem arcte stringit, ut nihil elabi possit, tum enim, succedente per ureteres nova semper urina, fibræ distensionem magnam patiuntur, & fortassis quædam earum rumpuntur, inque ingentem molem vesica ampliatur, unde tandem contingit, ut recipere suum tonum fibræ, & premere & expellere urinam non possint. Occasiones, quibus id inviti faciamus, recenset *Galenus loc. cit.* dum *ingentibus negotiis, vel in concionibus, vel senatu, vel foro, vel convivio*, longo tempore musculo sphinctere, vesicæ foramen claudimus, & urinam retinemus, perque eam vesicam extendimus, Quale quid *Forestus l.* 35. *c.* 3. in se ipso & in

In septuagenario, inde mortuo, *l. 16. observ. 25.* observavit: & magno illi Mathematico, Tycho Braheo, contigit, ut ex ore Toxotii Archiatri Regii Danici refert *Fabricius Hildanus lib. de lithotom. vesic. c. 3.* pluribus vero cum circumstantiis plenius exponit *Petrus Gassendus in ejus vit. l. V. p. 178.* Sic juvenis apud *Paræum l. 16. c. 48.* cum equo vectus dominam a tergo haberet, urinam præ verecundia in summa mejendi necessitate emittere non ausus, ita eam sibi suppressit, ut ab itinere domum relatus, nullo eam conatu reddere potuerit, ingentibus cruciatibus & sudore universali cum animi pene deliquio afflictus. De mulieribus seorsim *Riolanus in Anthopograph. l. 2. c. 28.* notat, iis in laborioso partu ita aliquando distendi vesicam, dum fœtus in orificio diutius hæret, ut post ejus egressum fluere nequeat, & eaeducta per catheterem summa tamen remaneat imbecillitas, Ischuriæ lethalis causa. Plane peculiaris vero est Historia, & cui similis forte non est annotata alia, illius viri apud *Aquapendentem de Chirurg. operat. p. 261.* cui febre continua laborant. Natura eodem tempore Crisim per alvum & urinam tentavit, alvo vero sponte referata, urinam tam copiosam versus vesicam movit, ut resolutis ejus fibris æger urinam amplius reddere non potuerit: mirum sane, tanto impetu per ureteres tantaque copia affluxisse urinam, ut non æger, mox illam emittendo per urethram evacuare vesicam, & prohibere nimiam illam distensionem potuerit; cum videamus quotidie, dum aquas minerales bibimus, magno quidem cum impetu ruere ad vesicam aquas, distensionem tamen vesicæ præcaveri facile posse.

XVII. Maxima autem, necesse est, distensio sit, quæ in fibris illis vesicæ vim illam elasticam tollat. Posse sane vesicæ corpus, urina suppressa, in magnam molem exendi, experientia docet. Testatur *Fabric. Hildanus lib. de lithotom. c. 5.* in sene quodam vesicam proxime ad umbilicum pertigisse, ventremque adeo tumidum, ut in gravida muliere, fuisse: qui alibi, *cent. 2. obs. 65.* alium memorat, ex cujus vesica una vice VI. libræ Medicæ urinæ, reliquis diebus V. vel IV. eductæ fuerint. Amplius vero *Domin. Panarolus Pentecost. 1. obs. 27.* vesica ad umbilicum extensa, viginti circiter libras quandoque eam continuasse observavit. Cl. Dn. Præses hic in caupone quodam, post XI. diem urinæ suppressione mortuo, vesicam ad umbilicum extensam vidit. Cum enim Chirurgus circa umbilicum inchoare in cadavere sectionem vellet, & profunde cultello dimisso peritonæum perforaret, simul vesicam se læsisse apprehendit, urina cum impetu effusa, quantitas vero ejus, quæ maxima, accurate tunc observari non potuit.

XVIII. Fortassis tamen merito quis dubitet, an à fibrarum illarum vesicæ nimia distensione, vi elastica læsa, sola & unica, suppressio urinæ deduci queat ut vulgo id explicant Medici, etiam Anatomici, ut *Aquapendens* aliique. Mihi enim in his casibus sphincteres quoque musculi

pati



pati videntur, & orificium vesicæ claudere, ne effluere aliquid possit. Cur enim alias, referato tantum per catheterem orificio, fibris nec dum sibi restitutis, urina statim per catheterem libere flueret, quod eam facere deprehendimus? Quanquam fibras illas corporis vesicæ per nimiam distensionem læsas non negem, & ideo in tali casu cum insigni juvamine vesicam premere soleamus, compressionem, quæ per fibras fieri debet, manuum officio suppleturi; tamen sphincter quoque patiatur necesse est, ut, licet laxare illum æger velit, non possit: sive post illum vehementem renisum & contractionem sphincteris, dum æger continuit tam diu urinam, ille ita contractionis motui assuevit, ut subito iterum relaxari nequeat: sive convulsivi quid patitur, quomodo à vesicæ musculo sphinctere spasmodice affecto, urinæ fluxum impeditum, narrat *Pechlinus lib. 1. obs. 10.* sive per illam retentionem urinæ, sphincteris quoque fibris aliquid patientibus, ita illæ resolutæ sunt, ut nec in relaxatione amplius obediant voluntatis imperio: sive denique inflammatio sphincteris relaxationem ejus, & tumore suo exitum urinæ impediat: quod in Tychone Braheo contigisse circumstantiæ à *Gassend. l. c.* relatæ nos docent. Quæ vero causa subsit, ex circumstantiis in particularibus casibus determinandum est; certum interim, in ejusmodi suppressionibus non temere solas vesicæ fibras, sed sphincterem quoque pati.

XIX. Reliquæ urinæ suppressiones fiunt ab aliquo, quod orificium vesicæ seu comprimit, seu obstruit, & ita angustum reddit, ut urinæ nihil effluere possit. Est id ipsum aliquando aliquid extra vesicam, in vicinia tantum ejus hærens, & nihilominus suppressionem urinæ vel aliquam vel totalem inducere potest. De prostaticis inflammatis vel alia de causa tumefactis id notat *Riolanus*. Hoc vero singulare, quod Pisis *Fabricius Bartoletus* observavit, in prostatico corpore glanduloso, genitum fuisse calculum, quo vesicæ orificium comprimente urina fluere desierit, apud *Rhod. Cent. 3. obs. 27.* Cumque intestinum rectum, saltem in viris, vesicæ collo firmiter adhæreat, à fæcibus induratis, in illo contentis, suppressionem urinæ ortam, deprehensum est: quod & annotavit *Forestus l. 25. obs. 11.* & *Cl. Jacob. Wepferus dissert. de Apoplex. p. 391.*

XX. Præterea etiam, qui in vesica hærent calculi, sæpius quidem dysuriam, aliquando vero etiam ischuriam inducunt, si scilicet vesicæ orificium penitus obstruant, id quod frequentius parvi, quam magni, faciunt. Cujus rei tam nota sunt exempla, ut adducere ea, supervacaneum sit. Unum tamen plane singulare apud *Tulpium l. 4. c. 48.* legi meretur, de trajecto, cui, cum calculi cum maximis doloribus urinæ fluxum impedivissent, dein per integrum quinquennium nihil molestiæ dederunt, descendentes paulatim ad quatuor transversos digitos à vesicæ orificio, provoluti quasi in sacculum, à sequaci vesicæ membrana formatum. Potest vero calculus aliquis minor etiam ex vesica egredi, & ita urethræ  
infigi,

infigi, ut nihil per eam elabi urinæ possit, id quod aliquoties Cl. Dn. Præses observavit.

XXI. Nec minus grumi sanguinis, sive ex renibus in vesicam descenderint, sive in ea, exeso aut rupto vase aliquo, orti fuerint, sæpius à prægressis externis læsionibus (quarum *Galenus l. 1. § 3. de loc. affect.* meminit) urinæ effluxum impediunt. Id quod tumores quoque faciunt ad collum vesicæ, & fungosa corpora (de quibus in *Enchiridio Anatom. Pathol. Riolanus p. 158.*) imprimis caruncula, quæ frequentissime in lue venerea, & quidem eo in loco, ubi feminalis humor in urethram effunditur, nasci solet, totumque urethræ initium opplet, & omnem urinæ egressum negat: de qua copiose tradunt, quicumque de morbo Gallico scripserunt, nonnulli quoque peculiare de ea libros ediderunt.

XXII. Idem fit per inflammationes, quæ in vesicæ collo contingunt, & variis quidem de causis, frequenter etiam externis, ut lapsu, percussione, gravis oneris sublacione &c. Cl. Dn. Præses eam in civis oppidani uxore, cum maritus ebrius eam, quinto jam mense gravidam, violentius compressisset, abortam notavit. Aliud exemplum apud *Fabric. Hill. C. 3. obs. 66.* extat. Uti vero inflammatio illa aliquando in abscessum abit, cujus exemplum apud *Bonetum in sepulchro tit. de suppressione urinæ obs. 13.* extat: ita interdum in scirrhum abit incurabilem: in quam rem exemplum habet *Fabric. Hildanus C. 2. obs. 65.* De appendicula carnosâ interius orificio adnata, & à *Marchetto* post sectionem deprehensa, *Rhodius l. 3. obs. 26.* agit.

XXIII. Et hæc quidem ea de causa afferre, differentesque urinæ causas explicare volui, ut quibus in casibus adhiberi catheter debeat, magis patefcat. Debet igitur medicus in ægro suo omnes circumstantias diligenter expendere, & in causas procatarticas curiose inquirere, cum ex illis sæpius de causis proximis certo concludere liceat. Monet hoc *Galenus l. 1. de loc. aff. c. 1.* & dein *l. 6. c. 4.* egregie præcit: post quem omnium optime de signis illis egit *Trincavell. l. 10. Pract. c. 8.* ut autem signa causarum aliquando satis evidentia sunt, ita interdum contra valde obscura & dubia deprehenduntur: in quibus, ut *Galenus* elegantia verba adducam, *artificiosa conjectura, ab omnibus vocata, nobis perquam utilis est, utpote, quæ inter exactam notitiam, & omnifariam ignorantiam, media quodammodo vocatur.* Re autem ita dubia tutissimam tum viam eligere oportet.

XXIV. Ut igitur jam ad rem accedam, ubi in vesica nullam esse urinam ex signis colligimus, ut supra th. VI. dictum est, à cathetere, ceu inutili, & molestiam tantum creante, abstinendum omnino est. In aliis casibus, ubi vesicæ vitio, urina non profluit, locum frequenter habet: non quod per catheterismum malum ipsum & causa ejus statim tolli possint, sed, quod molestissimum illud symptomata tolli mature debeat, cum alias intra dies paucos inflammatio & gangræna subsequi soleant.

XXV. Quando igitur, vesica paralyti affecta, aut fibris ejus vi elata

Tom. IV.

L 1 1

flica



stica privatis, expelli urina nequit, quanto-ocius educenda est cathetere urina, si leviora remedia incassum adhibita sint. Et hoc ex consilio *Riolani in Enchirid. p. 158.* per unum aut alterum mensem bis repeti debet, donec pristinum statum recuperarit. Et ita illi, cui per crisin à magna affluente urinæ copia fibræ tono suo privatae erant, *Aquapendens* cathetere opem se tulisse refert; cui, *si ego non adfuisset, addit vir minime alias gloriosus, aut vanus, certe vir ille mortuus fuisset, cum tamen natura per bonam crisin eum sanare vellet.* In simili quoque casu *Paræus* juveni illi, de quo supra th. XVI. dictum est, catheterem admovit, per quem ex tempore duas libras medicas reddidit, nec rediit urinæ suppressio. Recte igitur etiam in suppressione urinæ à stupore vesicæ catheterismum commendat *Franciscus à Roma Medico-Chirurg. Consult. 67.*

XXVI. Quando vesicæ orificium aliunde comprimitur, sive à prostaticis tumidis, sive à scybalis in intestinis detentis &c., facile quidem patet, de causis illis tollendis sollicitum debere esse medicum: si tamen illæ tam cito tolli non possint, omnino etiam adhibendus est catheter, dummodo idem ille tumor, qui urinæ effluxum impedit, non etiam catheteris immisionem prohibeat, quod sæpius contingit.

XXVII. In inflammationibus colli vesicæ catheter maxime quidem necessarius sæpe est, cum exacte claudere orificium, & nihil dimittere urinæ soleant, nec inflammatio tam cito semper solvi, quam id gravitas morbi requirit, possit; eadem tamen, quæ supra difficultas immisionis urget, nec loco, jam tum ob inflammationem acute dolenti, instrumentum ad moveri patiuntur ægri. Si tamen medicus mature remedia adhibeat, quæ à tali inflammatione indicantur, & emollientia cum anodynis non tantum externe calida apponat, sed & injicere aliquid conetur, satis cito interdum tumor & sensibilitas nimia tolli & mitigari ita possunt, ut immitti à perito chirurgo catheter, citra magnum dolorem, possit, quod aliquoties, sua sub directione, fieri feliciter Cl. Dn. Præses fecit.

XXVIII. Suppurata vesicæ inflammatio, si in vesicæ orificio est, rumpitur sæpe per ipsam catheteris applicationem, satis feliciter interdum, & tum per ipsum catheterem immitti medicamenta ad expurgandum ulcus possunt. Quod si duriora *Φύματα* fiat, quæ vel nunquam vel tarde suppurantur, catheteris immissio difficillima est, & aliquando quidem, si ad latus magis situm sit *Φύμα*, immitti potest, alias vero, cum orificio oppositum est, plane non. Idem in carunculis, verrucis & callis contingit: & de appendice callosa, supra ex *Rhodio* th. XXII. allata, expresse ipse scribit, catheterem propter eam non potuisse immitti. Quo pertinet quod *Tulpius l. 4. obs. c. 48.* de quodam viro refert, qui nec sponte, nec meatu per catheterem reserato, vesica licet maxime repleta esset, emittere urinam potuit, in quo post mortem tumor circa vesicæ cervicem deprehensus fuit, cujus ea forma, ut elevata à cathetere, illum tamen ita complecteretur, ut nihilominus impediretur effluxus.

XXIX.



XXIX. Quando calculus suppressionem, obturando vesicæ os, facit, catheter quoque locum habet, ut ex situ illum dimoveat, & ita liberum urinæ fluxum procuret. Adhibemus vero illum etiam ad explorandum calculum, & in ipsa calculi excisione cathetere utimur fulcato, de quo deinde dicendi locus erit.

XXX. Jam ad catheterismum ipsum accedam, qualibusve instrumentis, & quomodo, operatio ista commode perfici queat, exponam. Non unum vero tantum instrumentum, vel apud veteres in usu fuit, vel hodieque est, sed varie differentia inter se, ratione formæ non minus quam materiæ. Possem quidem illud tantum, quod commodissimum est, & hodie maxime in usu, proponere, malo tamen, Cl. Dn. Præsidis ductu, instrumenti hujus originem quasi & incrementa intueri, & quas mutationes, per temporum intervalla, apud varias nationes, ratione materiæ & figuræ, acceperit, curiosè exponere, ut maxime idoneum quisque eligere deïn possit. Postulat vero etiam usus, ut chirurgus plures catheteres, magnitudine, figura, & materia differentes ad manum sint, cum tales incidere casus possint, ut hoc potius, quam illo, uti, non tantum commodius, sed & necessarium sit: pro ratione etiam sexus diversos sibi parare catheteres debet, magnitudine, longitudine & figura differentes, ut deïn pluribus exponam.

XXXI. Videamus vero nunc ipsum catheterem & primo materiam ejus. Apud Græcos frequentissime ex ære fabricatum fuisse legimus; inter Latinos *Celsus* meminit quoque *ænearum* fistularum: apud Arabes *argenteas* adhibitas ex *Albucasi part. 2. c. 58.* patet. Et ita hodie etiam ex vario metallo, polito & lævigato, ne lædat urethram, ære, orichalco, & argento, fiunt catheteres.

XXXII. Verum cum hæc metallica flexibilia non sint, flexibilia vero videantur requiri instrumenta, imprimis in viris, propter collum vesicæ in situ suo naturali in illis nonnihil inflexum, non parum sollicitos hæc res habuit chirurgos, & idcirco figura catheteris non tantum facilem immissionem parare voluerunt, ut deïn dicam, sed etiam aliam materiam sequacem quæsierunt. *Ego*, inquit, *Aquapendens, imaginatus sum magis flexibile corpus & illud ex cornu paravi*: id quod tamen dudum ante apud Græcos etiam in usu fuit, cum *Galenus l. 2. ad Glaucon. c. 8. ἀυλίσην ἐυθυρήτην ἐκ κέρατος*, ex cornu diserte meminerit. Minus enim rigidum est, quod ex cornu paratur, & huc illucve flexile, si aquæ ferventi immergatur, & lævigationem quoque admittit. Balneatores in pagis expennis anserinis parant, quæ tamen non satis flexiles sunt. Alii ex anguillæ pelle faciunt. *Helmontius*, uti ipsi in scholas, hoc est, receptas medicorum doctrinas, declamare solenne est, ita catheterem quoque argenteum, seu metallicum, tanquam atrocem & cruentum, rejicit *lib. de Lithias c. 3. §. 34.* & novum ex corio præparatum, & in canaliformam confutum, quem ipse invenerit, laudat, & in ejus inventionem sibi plau-



dit, tanquam qui nullum dolorem, nisi primis vicibus circa sphincterem faciat. Alii ex cera parant. Non sufficit tamen vulgaris hic præparatio, uti alias stylos cereos seu candelulas cereas in urethræ excoriatione paramus: sed ostendit mihi Cl. Dn. Præses catheteres, extus cereos, intus peculiari modo firmatos excavatosque, cum subtilissimo ex balenæ ossè indito stylo, quibus in molliori sexu imprimis utitur. Cum enim plures ita abhorreant catheteris immiſſionem; ut mori malint, quam eam pati, quod de duobus medicis, qui in illa pertinacia mortui, refert *Aquapendens*: multo magis id faciunt mulieres, facilius tamen hos cereos, tanquam minus læfuros, admittunt.

XXXIII. Videntur autem illi ex metallo, argento imprimis, omnium esse commodissimi, si probe lævigati sunt, omnique asperitate, quæ lædere possit, careant, & iustam figuram habeant, dextreque à perito chirurgo immittantur. Flexibilitatem vero in argenteis catheteribus invenit etiam recentiorum industria (quos describit & depingit *Solinguus part. 3. c. 7. tab. VI. fig. 12.*) quæ eos ex tenuissimis argenteis filis sibi appositis in omnem partem sequaces reddidit. Quamvis igitur, & aliis ex argento, commodam figuram habentibus, & corneis, & cereis aliquando antehac usus fuerit Cl. Dn. Præses, tamen hos argenteos flexiles imprimis laudat, illosque plus vicies sine ulla difficultate immitti fecit, miraturque eorum usum, *tanquam non modo minus certum, sed & minus convenientem* rejici in *experimentis chirurgicis Nuikian. c. 38.* nisi forte id non tam de flexibilibus argenteis, quam de aliis ex cute anguillæ, & corio, *Helmontii*, quorum eopse loco meminit, intelligendum, in quo judicio utique assensum meretur. Nam Helmontianus ille ex corio in immiſſione plures habet difficultates, quam metallicus flexilis, nec ita ætatem fert, perpetuæque usus est, ut argenteus.

XXXIV. Quod jam catheteris figuram concernit, debet esse rotundus seu teres, intus cavus, æqualis ubique magnitudinis & capacitatis, ut in principio, ita in fine quoque foramine præditus. Et ita apud antiquiores quoque formatus ille fuit. An stylum quoque in cavitatem ejus immiserint, ut nos hodie facimus, quo educto aqua effluit, non satis constat. Non autem rectus debet esse catheter, sed vel magis vel minus curvus. *Celsus* vult *incurvas paululum fistulas, sed magis in viris*, allata jam ante de causa. Imo si flexiles non sunt post medium incurvari multam, & instar arcus quasi, debent; cujus figuræ apud *Paræum l. 15. c. 35. Aquapendentem & Nuckium locis cit. Tolletum tab. 3. fig. 3. Solingium tab. VI. fig. IV.* videre licet, & non unius generis mihi monstravit Cl. Dn. Præses.

XXXV. *Galenus & Ægineta locis cit.* meminerunt καθήρησιν seu αυλίσκις ενδυτήτις, quod interpretes plerique vertunt *rectam fistulam*, minus commode, cum illis qui tantum Græcos illos per interpretem legunt (quales hodie sunt plurimi) videri possint adhibuisse catheteres rectæ figu-

ræ,

ræ, non incurvatos. Vox vero illa ἐνθύρητος, ab ἐνθύς & ῥηθῆς derivata, denotat catheterem recta linea pertusum & perforatum, non ad latera, non secus ac vox ἐνθύροτος apud Platonem, Theophrastum, ipsumque Galenum, notat id, cujus pori, seu meatus recti sunt. Uti igitur sunt Græci catheteribus recta perforatis, in extremitate scilicet tantum foramen habentibus. Recentiores vero non solum in extremo perforant catheteres suos, sed etiam in lateribus vel duo vel plura faciunt foramina, illo recto in extremitate interdum omisso. Causas ex mente illorum dat *Aquapendens*, scilicet, quod interdum catheteris extremum superet urinam, hoc est, elatus urina sit, ideoque non exeat, at si à lateribus perforatus sit catheter, illa sine difficultate exeat: & Nuckius quidem commodissimos illos catheteres putat, qui ea parte, qua flexuram faciunt, variis foraminibus pervii sunt. Cum vero interdum vel pituita vel pus crassius, vel sanguinis grumuli in hæc sese foraminula insinuent, ad illa removenda etiam invenerunt chirurgi stylos, in cavitatem canalisi intrudendos, quare & in flexibilibus argenteis & cereis catheteribus flexiles quoque tenuitate sua stylos adhibemus.

XXXVI. Longitudo ejus propter varietatem subjectorum non satis exacte determinari potest. In mulieribus, quoniam urethra brevis, non tam longus requiritur. In viris tantæ longitudinis esse debet, ut per mentulam elongatam immitti in fundum usque possit. Non incommode *Celsus*: ex virilibus maxima decem & quinque est digitorum: media duodecim, minima novem. Ex muliebribus major novem, minor sex. Longiores tamen esse, nil impedit, ut altera extremitas teneri melius chirurgi manu possit. *Albucasis* latitudine palmæ unius & mediæ esse vult.

XXXVII. Crassities catheteris magnitudini seu capacitati urethræ respondere, ideoque variæ ad manum esse debent, ut eligi proportionata possit. *Celsus* in genere, neque nimis plenam, neque nimis tenuem vult. Sed cur non nimis tenuem vult? Videtur enim tenuissima quævis inferi posse quam facillime, & per eam nihilominus transire & evacuari urina. *Aquapendens* hanc reddit causam, quod nimis tennes, nimis flexibiles; nimis vero crassæ, rigidiores sint: utrumque autem extremum ad ingressum in vesicam incommodum esse, quod tamen imprimis ab hoc instrumento optamus. Id quod *Fabric. Hildanus cent. 2. obs. 65.* duplici exemplo confirmat, dum propter vesicæ scirrhum, nec ipse, nec lithotomus, orificium ejus referare exiliori cathetere, majori autem & qui cygni pennæ crassitiem æquaret, facile potuere. Vide eundem *cent. IV. obs. 53.* Fieri tamen potest, ut inflammatione vesicæ, ubi tumor non nisi tenuissimum spatium relinquit, tenuissimus etiam catheter minimum dolere pariat, ideoque non nisi ille adhiberi & debeat & possit. Imprimis tamen in mulieribus id deprehendit in urethræ orificio *Cl. Dn. Præses*, crassiorem catheterem rugosioris orificii rugas distendendo facilius in orificium intrare, tenuiorem vero ad rugosas membranas allidere, in ipsum vero foramen penetrare quam difficillime. Et hæc



causa est, cùm Chirurgi in applicatione catheteris in foeminis sæpe in urethrae orificium eum immittere nequeant; non quod, ut doctissimus alias *Wierus in obs. libello* scribit, extremitas colli vesicae exterior in cunctis foeminis non eodem appareat loco, & in pluribus quidem supra cervicis vesicae angustias exteriores sub nympha conspiciatur, in paucis vero introrsum in superiori parte pudendi lateat, ut dilatatione opus sit, si quid in eam immittendum. Revera enim semper uno & eodem loco urethra orificio suo in omnibus foeminis hiat, partibus autem illis flaccidis, membranisque sese corrugantibus, & inferioribus partibus corporis in situ suo aliter atque aliter collocatis, contingit, ut immissio interdum difficilior fiat, & ipsum orificium urethrae diversimode situm esse credatur,

XXXVIII. Ex his vero patet, necesse esse, quod & antea monitum, ut plures Chirurgi ad manum sint catheteres, & materia, & longitudine, & crassitie, & figura differentes. *Celsus, ut omni corpori, ampliori minori que sufficiant, ad mares tres, ad feminas duas fistulas* haberi vult: verum is numerus determinari nequit: imprimis tamen, ut argentum illum flexilem pro viris, cereum pro foeminis ad manus habeat, necesse est, quibus non tantum Chirurgus sine difficultate & incommodo ægri uti, & immittere eos potest; sed ipsi ægri, ubi paululum assueverint, sibi ipsis operi ferre possunt.

XXXIX. Contingit autem aliquando, materia non ita fluida, ut cathetere licet recte immisso, non tamen intret urina in foramina illius ante & ad latera facta. Ut igitur cogeretur quasi urina (fugavacui, ut loquebantur olim) intrare in catheterem, peculiari artificio progressi sunt jam tum veteres. Particulam lanæ aut gossypii, filo quopiam argenteo per fistulam traducto, alligarunt, & catheteris extremo adaptarunt, oleoque perunxerunt, & demisso jam ad fundum cathetere, filo argenteo attraxerunt lanæ frustum, quo in catheterem transeunte, subsecutum est ex vesica, quod liquidum. Ita enim modum illum describit *Ægineta*, & paulo aliter *Albucahis locis cit.* Verum & rarius incidit talis casus, & cum incidit leviori opera succurri, suctu oris, per famulum Chirurgi potest. Vide quæ dixi th. X.

XL. Quod si quis cathetere non educere tantum urinam ex vesica velit, sed etiam in eam aliquid immittere, siphon aptatur orificio catheteris, & sic in fistulam, perque eam in vesicam illud protruditur: vel, ut in Germania nostra in applicatione clysterum alvi in usu est, vesica animalis, liquore injiciendo repleta, aptatur orificio catheteris, illaque compressa intruditur liquor: quem modum tanquam novum ab *Helmontio* propositum, jam ante tredecim secula usitatum refert *Paulus Ægineta l. VI. c. 59.*

XLI. Jam denique aliquid de modo operandi, seu ipso Catheterismo, dicendum est. Requiritur autem, præter dicta commoda instrumenta, peritus Chirurgus, qui, per Anatonem, situm vesicae & urethrae, in utroque sexu, sæpius intuitus fuerit, & in cadaveribus quoque operationem illam cum instrumentis suis fecerit. Deinde Medicus simul advocatus diligenter cum

cum Chirurgo de causa suppressionis conferre, & ex signis supra propofitis expendere debet, an forte etiam frustranea operatio, an aliquod *σαρκωδές σάμμα*, aut magna inflammatio, ut urinæ ab una, sic instrumento ab altera parte, aditum omnem præcludat, ne frustra immittendo majus periculum ægro creet. Debet sane Medicus in observando sedulus, in conjecturando prudens, in concludendo providus: Chirurgus in operando cautus, & à periculosa festinatione alienissimus esse: ut recte omnia & justo tempore & minimo cum dolore peragantur.

XLII. Modum operandi in viro, utpote difficiliorem, proponam primo. Ubi aggredi operationem Chirurgus vult, æger vel stans, muro tamen innixus, vel supinus in lectum collocatus, prout commodissimum videbitur, esse debet, tum Chirurgus à dextro latere stans sinistra penem apprehendere & dextra Catheterem, oleo probe lævigatum, in principium urethræ, quod in glande est, immittere, & deinde ad vesicæ cervicem demittere: quoniam vero ibi obliquatur urethra, & ipse cum pene fistulam inclinabit, ut in vesicam eam propellat. Si cathetere non flexili, sed incurvato, utatur, ita primo illum tenebit, ut convexitas abdomen respiciat, ubi vero ad vesicæ orificium pervenit, illum proxime sub ossè pubis invertet. In foeminis, cum parum incurvatis tantum utamur catheteribus, in immittendo quidem etiam convexitatem ejus versus ventrem vertet, ut invertat tamen deinde, necesse non est, leviorique, quam in viris negotio, ubi in urethram recte introductus est, in vesicam demittitur.

XLIII. Si non promte effluat, blanda manu comprimi in inguine vesica debet. Quando etiam aliqua portio notabilis urinæ jam evacuata est, deprimere aliquantum catheterem Chirurgus debet, ne, foraminibus ejus extra urinam extantibus, nihil ejus in cavitatem intret, & prout necessitas requirit, educet, & iterum immittet.

XLIV. Antequam finiam, unam adhuc cautelam, Chirurgo imprimis necessariam, addam. *Nuikius in suis observationibus l. c.* monet, ita in operatione à Chirurgo dirigendum esse catheterem, ne urethræ spongiosæ latera durius tangantur, & molesta hæmorrhagia superveniat. Hoc tamen fortassis rarius contingit. Miserum profecto illum ægrum, qui in talem incidit Chirurgum, qui vel inepto, vel non satis polito & lævigato, instrumento, vel operationis inconsulta vehementia, ita lædit urethram, ut ex spongiosis ejus corporibus hæmorrhagiam concitet. Apage hunc Chirurgastrum! Id potius monendus est Chirurgus, ut, ubi in viris cathetere suo ad vesicæ orificium pervenit, mitius ibi & cautius agat, & suspensa magis manu eum propellat, ne quid lædat. Nosse enim ex Anatome debet, ibi locum esse, quo vesiculæ feminales & prostatæ suum seminalem humorem in urethram effundunt, ubi & caruncula quasi quædam & valvula, ut nonnulli volunt, protuberantiam quandam constituit, & tenebram & sensibilem. Hanc igitur ut prætervehat instrumento, & non lædat, operam dare debet, ideoque si fortius allidat, quod ex resistentia aliqua,

&





& dolore, & clamore ægri, percipit, flectere nonnihil catheterem, & educere iterum, noviterque, oleo inugere, vel alium aptiorem accipere & rursus intrudere, & ut, intacta eminentia illa, transeat, operam dare, & imprimis cavere debet, ne quid in catheteris vel fine vel lateribus, ubi perforatus est, asperi sit, quod lædere partem sensibilem queat. Et vero metus est ne, illa caruncula graviter læsa, hæmorrhagia aliqua, vel ulcus, aut involuntarius seminalis humoris effluxus procuretur. Ne igitur utilissimus hic & necessarius Catheterismus errore operantis diffametur, & nova mæla, dum alia tollere conatur, inducat, cavere Chirurgus religiose debet.

F I N I S.



QUÆSTIO

Q U Æ S T I O  
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

*Quam Praside*

F R A N C I S C O M E R Y .

*Tuebatur*

C L A U D . J O S E P H . G E N T I L ,

B I S U N T I N E N S I S .

Sub hac verborum ferie ,

*An Bubo venereus Skirrhodes absque cauterio curandus ?*

Parisiis die 25 Novembris anno 1751.

I.

Q Uot & quam innumeras sese transformet in facies , tragœdiasque ludat venereum virus miseræ fat norunt veneris victimæ : mille-coloris hujusce protei historiam tam eleganter & abunde scripserunt praxeos medicæ principes imprimisque illustrissimus libri de morbis venereis author , ut supposita ex eorum pertractatione morbi tam crudeliter sævientis ortus , causæ , symptomatum , signorumque seriei perfecta cognitione , diversam venerei bubonis indolem indicare protinus sufficiat : triplicem ergo bubonum venereorum speciem certo ac proprio discriminatam vocabulo cum Clarissimo D. *Afruc* agnoscimus : alii enim multum dolent , calent , pulsant , renituntur , & phlegmonodes : alii modice calent , dolent , pulsant , renituntur , imo potius molles prementis digiti vestigia admittunt & servant , & œdematodes : alii denique doloris , caloris , pulsationis expertes , duri sunt & valde renituntur , & Skirrhodes nuncupantur. De prima & secunda specie ad nos non pertinentibus silentes consulto ultimæ naturam explorabimus dumtaxat. Quacumque de causa in inguinalibus glandulis si-

*Tom. IV.*

M m m

statur

